

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Theologica universa - Ettenheim-Münster 108 - Tom. II

Cartier, Gallus

[S.l.], 1795

Einleitung

[urn:nbn:de:bsz:31-111018](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-111018)

Tomii Secundi
Theologiae universalis

Theologiae Uni-
versalis ~~et~~

Tomii Secundi

Tractatus Tertius
De Incarnatione
Verbi.

Prooemium.

Stupendum simul ac Summe
necessarium imò primarium Religionis
nostre Mysteriorum suscipimus expla-
nandum, Incarnationis Divinae scilicet
Sacramentum, in quo elucent ac
se se magnifice produnt praecipua illa di-
vina attributa seu perfectiones, quas in
Tractatu nostro De Deo part. ii. recen-
suimus, nempe omnipotentia, Sapien-
tia, bonitas, justitia, clementia et mi-
sericordia. Quas tam extremas, et à se
invicem tam longe distantes naturas, divi-
nam scilicet et humanam simul in eadem
personâ intimò nexu conjungere sine ullâ
confusione ac permixtionè, hoc verè sum-
mum et inauditum esse divina poten-
tiae ac virtutis argumentum contendi-
mus. Deum ad vilem hominis conditio-
nem demitti, re ipsâ majus est quod-
dam divinae potentiae miraculum, quam
grandia quaeque moliri. Sapientia verò di-
vina quanta hîc solertia in concilian-
dâ simul justitiâ et misericordiâ Dei:
Haec gratiam postulat et poena remissio-
nem; illa jurium suorum conservatio-
nem, ac condignam rei punitionem,
ita ut Deus nec peccatum hominis di-
mittat impunitum, quia justus est, nec
insanabile, quia misericors. In vero

2 Divinò planè consiliò et arcano asecuta
est Dei Sapientia: Christus Sponsor nos-
ter loco nostri substitutus, poenas Divina
justitia solvit ad rigorem; clementia
verò ac benignitas Dei sese in hominum
genus liberaliter effundit: res parit-
tur, et plectitur innocens. Incarna-
tionis Dominice mirum illud est ac
Divinum arcantum. Nisi enim Chris-
tus Deus esset, non afferret ~~modo~~ reme-
dium; nisi esset homo, non præberet
enemplum. Itam Satisfactionem
non potest facere nisi Deus, nec de-
bet nisi homo, necesse est igitur, ut
eam faciat Deus homo. Satisfac-
tionis materiam, hoc est, poenas et
expiationis opera homo præbet, Deus
pretium ac valorem impertitur: ita
dum. Severa Dei placatur justitia,
oblato pro peccatis nostris proprii filii
huius sanguine, quo nullum dignius pre-
tium esse potest, benignitas et miseri-
cordia Dei in nos abundanter exerce-
tur. Sic mirum in modum impletur,
quod prædixerat David, Misericordia et
veritas obviaverunt sibi, justitia et
pax osculata sunt. Atque inde tan-
ta in Deum gloria redundavit, ut Eule-
sia felicem non timeat dicere Adami
culpam, quo tantum meruit habere
Redemptorem.

Ex his omnibus haud dubie
claret, quanta sit argumenti, quod
hic tractandum aggredimur, dignitas,
ac præstantia, nempe totius Religio-

nis Christiana caput id est, Spei ac 3
Salutis nostrae unicum fundamentum.
Non impigrò igitur fervore magna que
animi contentione ad id nos acce-
dere oportet.

Quid porò Incarnationis nomine 2.
intelligatur, vel ex dictis patet, nempe
significatur unio Verbi Divini cum na-
tura humana in unitate personæ, ex
quâ resultat Deus homo nempe Chris-
tus*. Definiri ergo potest Incarna-
tio, Primum Religionis Christianæ
Mysterium, quo Verbum Divinum af-
sumpsit naturam humanam veram et
integram, in unitatem personæ, ad re-
dimendum genus humanum.

Dicitur 1^o Primum myste-
rium; nam ex Apostolo 1. Cor. 3. Fun-
damentum ... aliud nemo potest ponere
præter id, quod positum est, quod est Chris-
tus Jesus.

Dicitur 2^o Verbum Divinum,
contra Sabellianos et alios Hæreticos, qui
cum SS. Trinitatis personas non distingue-
rent, docuerunt Patrem fuisse incar-
natum, contra disertissima Scriptura
verba, Joan. 3. Sic... Deus dilexit mun-
dum, ut filium suum unigenitum da-
ret. Et c. 16. Exivi à Patre, inquit Chris-
tus ipse.

Dicitur 3^o assumpsit, hoc est sibi
univit, sibi sumpsit. Tres quidem per-
sonæ concurrunt ad univendam natu-
ram humanam cum verbo, quia unio
illa, cum sit opus ad intra, et effectus

¶ Ad declarat Evan-
gelista Joannes
c. 1. his verbis:
Verbum caro fact-
um est; ubi pars
sumitur pro toto,
figurâ in scriptu-
ris usitatâ, genes.
6. Omnis quippe
caro corruerat viam
suam. Isa. 6. Sicut
omnis caro, quia
ego Dominus. Et
Luc. 3. Videbit om-
nis caro salutare
Dei. Mahit au-
tem Evangelista
scribere Verbum
caro, quâ homo
factum est, tum
ad commendandam
mysterii magnitu-
dinem, quia caro,
utpote magis distans
à verbo, minus assump-
tibilis videbatur, ut
ait S. Thomas q. 5. a. 3.
ad 1. tum ad commen-
dandam humilitatis
dilectionem, quâ Deus
seusque ad carnem de-
misit. Ita S. Aug. l. 23.
q. 80.

4. Divina omnipotentia, communis est et Patri, Psal. 39. v. 7. ubi locis horum verborum aures autem perfecisti mihi, quae in Vulgata nostra habentur, Septuaginta, quos Apostolus sequitur Heb. 10. legunt Corpus... aptasti mihi, quibus Filius ingrediens mundum Patrem aeternum alloqui dicitur ab Apostolo loc. cit. v. 5. Et Filio, Philip. 2. Semetipsum exinanivit formam Terri accipiens. Et Spiritui Sancto, Luc. 1. Spiritus Sanctus superveniet in te, ait Angelus ad Mariam annuntians ei Verbi incarnationem. At tamen unio ad Solam Filii personam terminata est. Unde Solus naturam humanam assumpsit, quem admodum is, qui vestem induit, Solus dicitur illam assumere, quamvis alii cum ipso concurrant ad illam aptandam et circumponendam.

Dicitur 4^o. Naturam humanam, non vero hominem; quia homo est nomen concretum, compositum ex natura et Subsistentia, seu personalitate, idemque significat ac habens naturam humanam. Atqui natura humana prius non fuit Subsistens Subsistentia humana, quam a Verbo assumeretur, sed simul fuit producta et unita Verbo, ut constantiter docent Sancti Patres contra Paulum Samoletum, Photinum et Nestorium, dicentes, Christum prius fuisse hominem perfectum, et deinceps promeruisse ut Deus fieret.

Dicitur 5^o. Naturam humanam veram, contra Haereticos asserentes, Verbum specie tenus assumpsisse naturam humanam. Tales erant Marcionita, Manichaei, Priscillianista, et ante eos Simon Magus et eius discipuli, quos perstringit S. Joannes 1. Ep. c. 4.

Dicitur 6^o integram naturam, contra 5^o.

Haereticos, quorum alii negaverunt eum assump-
tisse humanam animam, ut Apollinarista;
alii carnem duntaxat, ut Marion.

Dicitur 7^o In unitatem personae:

quibus verbis duplex error proscribitur,
1^o Eutychetis, qui docuit, naturam humanam
assumptam fuisse in unitatem naturae, unis-
nemque factam non in personā, sed in natu-
rā, ex quo errore manifestē sequeretur, tres
personas fuisse incarnatas, cum natura divi-
na sit eis communis. 2^o Nestorū, qui asse-
ruit in Christo duas esse personas sicut et natu-
ras, divinam scilicet et humanam, morali-
ter tamen unitas, nimirum per gratiam ac-
cidentalē et adoptionis.

Dicitur 8^o ad redimendum genus hu-
manum; ut significetur, Incarnationis opus
totum in usus nostros fuisse peractum, nam
et Filius hominis non venit, ut ministraretur
ei, sed ut ministraret, et daret animam suam
redemptionem pro multis. Marc. 10. v. 45.

Incarnatio Verbi sic definita, variis 3.
nominebus tum in Scripturā, tum à Patribus
significari ac describi solet. * Dicitur Messias
Filius, Galat. 4. v. 4. Dei dilectio, Joan. 3.
v. 16. Visitatio et redemptio, Luc. 1. v. 68. * Assump-
tio seu acceptio, aut apprehensio natura-
scilicet humana. Philipp. 2. v. 7. Et Heb. 2. v. 15.
Genus Filii, et accessus ad nos, Joan. 6. v. 38.
et Ep. 2^o. v. 7. ejusdem. Abbreviatio, exinanitio,
Ha. 10. v. 23. et Philipp. 2. v. 7. * Habitatio, Joan.
1. v. 14. Conversatio, Baruch. 3. v. 38. Ana-
cephaleosis seu recapitulatio et instauratio
rerum omnium: tum quia Christus fuit finis
et confirmatio prophetiarum, ceremonia-
rum, ac preceptorum Legis Mosaicæ; tum
quia instauravit omnia sive in coelo sive in
terra. Ephes. 1. v. 10. Redemptio, Ephes. 1. v. 7.

Ex parte Dei

Ex parte Filii

Ratione nostri ac
beneficiorum, quae
ex Verbo incarnato
in nos defluerunt.

6. Manifestatio et Declaratio, quia nempe per In-
arnationem Deus manifestatus est in carne, i. T.
2. v. 10.

Antiqui Patres, praesertim Graeci,
qui generatim omnem de Deo sermonem
ac Disputationem partiri ac dividere solent
in Theologicam, quae de Deo ac divinis ejus
perfectionibus; et Oeconomiam, quae
de Inarnatione seu de Christo tractat,
mysterium istud Oeconomiam nonnunquam
appellant. Nempe hoc mysterio Deus
tanquam Sapiens oeconomus et sibi, et
nobis consuluit: sibi quidem, quod per
verbum incarnatum redimens hominem
suae justitiae jura servaverit illasa; nobis
vero, quod infinitam in nos misericordiam
probaverit.

Definitio sic Inarnationis mys-
terio variisque illius explicatis nominibus
motu nobis proponendus est ordo Capitulum
quibus totum nostrum de illo sermonem
comprehendemus. In primo dicemus
de possibilitate Inarnationis. In se-
cundo de illius existentia. In tertio de
illius necessitate. In quarto de motivo
In quinto de essentia. Et tandem in
Sexto de termino, qui ex Inarnatione
resultat, cui subijcimus Appendixem
de cultu et veneratione Sanctorum,
eorum reliquiarum, imaginum, &c.